



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

Dominicâ secundâ Adventus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

averfantur. En cur quæſerit, quam alii ultrò oblatam fugiunt. En cur amplexus ſit, quam alii cùm propè ſunt, tangere nolunt. En rationes, cur Cruces noſtras amare debeamus, Ô Chriſtiani. At quas, ſi Cruci D. Andreae comparentur? Quomodò tamen illas amabo, inquis? Primò quia jucundæ erunt, ſi Deo te tradis: & ſecundùm multitudinem dolorum, conſolationes ejus lætificabunt animam tuam. Eſto hoc non ſit: reperiſ tamen bonum honeſtum, imitationem Chriſti: qua de re conſule, ſi lubet, Bernardum ſerm. de quadruplici debito. Tam potenti conſiderationi adde tertiam: per Crucem redempti, per illam in cælum debemus aſcendere. *Non contemplantibus nobis, qua videntur &c.* Si ea, ut decet, in animum demittimus, dicemus cum Andrea, cum Xaverio, cum Martyribus, *O bona Crux &c.* Fer nos in cælum, ut Crucifixi Crucifixum laudemus.

DOMINICA SECUNDA.

THEMA. *Ioannes in Vinculis.* Matth. II.

Argumentum totum erit de cauſſis, cur Deus D. Joannem, tam innocentem virum, carcere includi & plecti à carnifice voluerit: interim dùm Herodes adulter voluptatibus innatabat. Ratio prima peti poteſt ex Chriſti gloria, ad quam D. Joannes, ejus præcurſor, totus ordinabatur, velut ad finem ſuum: præcucurrerat eum vitâ, præcurrat & morte: Sole adveniente,
ſtella:

stella decedat. Altera, ex ipsius Joannis gloria: nihil enim honorificentius homini probo potest accidere, quàm pro Deo, pro virtute, pro veritate pati, & mori. *Vobis datum est, non tantum ut in eum credatis, sed etiam, ut pro ipso patiamini.* Tertia ratio petenda ex bono nostro: ut, præter plurima alia exempla, etiam Joannis passione doceamur, Bonis mala accidere solere. Cur id fit? Multa in eam rem tradit Seneca libro de Providentia, & omnino Christianè: aliunde etiam materia non difficulter peti potest. Nos hanc concionem extendimus Excursu 3. sect. 2. ad cap. 2. Machab.

FERIIS HEBDOMADÆ SECUNDÆ.
A D V E N T U S.

SI Fundamenta Bonæ Voluntatis pertractata fuerint, transibitur ad Officia eo omninò ordine ac modo, quo habentur in Parte secunda. Si tamen superfuturi dies videbuntur vel hac hebdomada, vel sequenti, dividi poterit Sectio I. partis 2. in Conciones duas: ut in prima agatur de malis, quæ nobis à Deo immediatè eveniunt; in altera, de evenientibus à Deo mediatè, per malam hominem voluntatem.

Thema istis concionibus unicum erit, *In terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.